

Interdum percipitur sonus veluti medius inter *i* et *u*; imo sunt quidam indi qui in quibusdam vocabulis pronuntiant rotunde *i*, dum alii loco *i* pronuntiant *u*, sic audies: akukmuku et akukmiku, *ciuis*; ipnamu, upnamu, *homo mortuus*; *ipslatil*, upslatil, *semper*: upskil, ipskil, *adhuc*, etc. In istis et similibus casibus, quandoque decernere poteris quatenus sit recta pronuntiatio, quandoque non poteris, et quae tibi magis arrideat, illam praeferes. Sane pronuntiandum est *ipnamu* et non *upnamu*; quia radix verbi morior est certissime *ip* non *up*. Omnes enim omnino indi pronuntiant participium *kiiip* et nemo unquam pronuntiat *kiiup*. Generatim loquendo pronuntiationem indorum qui vocantur *ksanka* praeferes pronuntiationi eorum qui vocantur *akuklalgo*; quia istorum lingua est dialectus linguae originalis. Isti indi akuklalgo particulam *migit* semper pronuntiant *mugit*, et loco dicendi *akilmiyit*, *coelum*; *ktsilmiyit*, *nox*, dicunt *akilmugit*, *ktishmugit*.

DE ACCENTU ET QUANTITATE VOCALIUM.

Cum plurima vocabula *ksanka* sint sesquipedalia, consequitur unam idemque vocabulum plures suscipere accentus; verum vnus est accentus principalis. Accentus principalis fere semper cadit in penultimam syllabam, rarissime cadit in antepenultimam, nunquam in ultimam. Unde nullus in vocabulis notabitur accentus, nisi accentus cadat in antepenultimam syllabam; ubi enim nullus notatur accentus, signum est accentum cadere in penultimam syllabam. Vocabula quae habent accentum in antepenultima syllaba fere desinunt in *gani* e. g. unupgani, *video*, ukonyagani, *capio*.

Rarissima sunt vocabula monosyllaba; abhorrent enim *ksanka* a monosyllabis. Hinc vocabula quae per se deberent esse monosyllaba fiunt dissyllaba praefixa, ut plurimum, vocali *i*. Sic ex verbo utsga-ni, *loquor*, iuxta regulam generalem derivari deberet forma imperativa *tsgan*, cuius loco usurpatur *i-tsgan*, *loquere*. Sic etiam ex verbo wa-ge, *peruenit*, formatur participium *ki-wam*, *loco*; *k-wam*; et ex verbo un-ip-ni, *morior*, formatur *ki-ip*, *qui mortuus est*; et ex verbo ka-ge, *transit* formatur *ka-an*, *transi*.